

Ad undeci-  
mam.

*Ad undecimam*. Quæ est principalior ratio Collegij Complutensis pro Thomistis dicitur transcendentia non reponi in definitionibus, proindeque eum actus entitativus sit quid transcendens (reperitur enim in omni ente) ideò non debuit in eius definitione reponi, aut dic illam definitionem esse definitionem Physicam, & cum actus entitativus sit quid Metaphysicum, quia sequitur ens in ratione entis, ideò non fuit necesse in definitione Physica ponere terminos Metaphysicos.

Ad duodeci-  
mam.

*Ad duodecimam*. Quæ est præcipua ratio Ruuij contra Scotistas, responde concessâ maiori negando minorem, nam materia habet actum entitativum, & talem actum entitativum, non verò habet actum entitativum in vniuersum, habet quidem id commune cum alijs entibus realibus, quòd habeat actum entitativum, & habet peculiare, quòd sit talis actus entitativus, nam sicut materia prima est ens, & tale ens, scilicet primum subiectum rerum naturalium, &c. Ita est actus entitativus, & talis actus entitativus, & dum instat Ruuius: Non ponitur in aliqua specie, nisi per formam, in aliqua specie Physica, & completa, concedo, in aliqua verò specie Metaphysica, nego, est enim substantia incompleta à Deo creata, &c.

Ad decimam  
tertiam.

*Ad decimam tertiam*. Iam patet solutio ex eò, quòd dixerimus ens reale diuidi in actum, & potentiam Physicam, non verò in actum, & potentiam Metaphysicam; nam potentia Metaphysica est potentia obiectiua, id est ens possibile. Aut dic, dum diuidit Aristoteles ens in actum, & potentiam, intelligi debere de ente, vt abstrahit ab entitate extra causas, & ab entitate in potentia obiectiua latitante, id est secundum suum esse possibile spectata: negandum ergo est, quòd entitas extra causas abstrahat ab actu, & potentia Metaphysica, sed tantum ab actu, & potentia Physica abstrahit, quodecumque enim est extra causas, est actus saltem Metaphysicus, licet sit potentia Physica, & hoc propter rationem in prima resolutione ponendam, & in prima ratione Scotistarum iam indicatam.

Ad decimam  
quartam.

*Ad decimam quartam* nega minorem, licet enim materia prima cognoscatur in ordine ad formam, atamen etiam de se habet propriam cognoscibilitatem, vt dictum est in superiori partitione.

Ad decimam  
quintam.

*Ad decimam quintam* Concessâ maiori nega minorem; nam non possumus nobis imaginari materiam esse in potentia obiectiua, quin nobis imaginemur esse nihil, seu non esse in rerum natura, bene quidem nobis imaginari possumus materiam esse potentiam subiectiuam, & Physicam, & cum hoc etiam imaginari, quòd sit quædam actualitas.

Ad decimam  
sextam.

*Ad decimam sextam*. Item concessâ maiori nega minorem; nam de materia separata à forma rectè dicemus vtrumque, videlicet & quòd esset actu, & quòd esset quidam actus.

Ad decimam  
septimam.

*Circa decimam septimam* est duplex opinio; nam Zabarella lib. 2. Physic. cap. 17. asserit materiam primam remotâ quacunque formâ, & etiam formâ corporeitatis, remotis quoque trinis dimensionibus esse corpus de genere substantiæ. Rationes Zabarellæ ad longum refert cap. 1. & refert

lit cap. 2. Fauentinus in Philosophia naturali theorem. 31. respondetque ex opinione Scoti in sexto Metaph. negando quodcumque ens actu esse corpus, ideòque negat materiam esse corpus, sed ait, quòd ad esse corpus Physicum requiratur, vt sit substantia composita; proindeque illud corpus, in quod diuiditur substantia in genere, est quid compositum ex realitate generis, scilicet ex substantia, & ex differentia, quæ est corporea, vbi per differentiam corpoream non intelligi debet quantitas, sed aptitudo in substantia ad quantitatem recipiendam, quæ aptitudo aliud nomen non obinet, nisi nomen corporeitatis: vnde hæc est differentia inter substantiam incorpoream, seu spiritalem, & inter corpoream, quòd illa non habeat aptitudinem ad quantitatem, imò sit quantitas incapax, At ista habeat aptitudinem ad recipiendam quantitatem, de hac re consule citatum Fauentinum, vbi & docet, quomodo materia sit veluti genus, non tamen verum genus, similis, inquam, generi, in quantum genus est indifferens ad oppositas differentias, ita materia ad oppositas formas, non tamen est verè genus, quia genus subalternum est quid completum, & compositum, substantia autem corporea est genus subalternum, quia genus supremum est substantia, vt diuiditur in incorpoream, & corpoream, corpus ergo erit quid compositum ex materia, & forma, quia licet forma videatur in se indiuisibilis, atamen virtualiter, & aptitudinaliter rationem diuisibilitatis continet, nimirum quantitatem.

Ex his ergo ad rationem patet solutio, dicendo quòd vt aliquid sit corpus requiratur, vt sit ens actu completo, & Physico, materia verò est tantum actu incompleto. Summoperè laborarunt antiquiores Philosophi in ostendendo, quomodo materia non sit genus, de hoc enim Alexander Aphrodisius magnum fecit tractatum, vbi probauit prolixè materiam non esse genus, idque refert Commentator secundo Metaph. in propria digressionem, adducitque duas rationes, propter quas materia non est genus. Prima est, quòd materia non claudit rationem determinatam, genus verò importet rationem determinatam, animal v.g. importat rationem determinatam, nimirum sensibilitatem, sed materia est merè indeterminata. Altera ratio est, quia genus importat tantummodò communitatem conceptus, id est vnitatem rationis respectu suarum specierum, at materia vnitatem realem, de hac re vide Aureolum in secundo sententiarum distinet. 12. quest. 1. art. 2. & citatum Fauentinum, quia verò nunc communiter tenetur, quòd materia non sit corpus, ideò super hac re nihil amplius inquiri, contrarie enim opinionis rationes sufficienter soluit Fauentinus citatus.

*Ad decimam octauam* nega maiorem, & ad ea, quæ videntur habere vim in illa ratione, dicit quòd materia non amittat nomen, & definitionem in ratione materiæ, bene tamen in ratione partis, aut compartis v.g. materiæ, quæ est sub forma bouis, amittit nomen, & definitionem in ratione partis, quando aduenit forma cadaueris, non tamen amittit rationem materiæ, at v.g. quando paries ex nigro fit albus, materia neque amittit nomen, neque definitionem

Ad decimam  
vltimam.